



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Seqvitvr Libellvs De Discrimine decimarum. An decimas debeamus. De legitimo usu decimarum, & de eiusdem abusu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

rum, ut illis summa fide prospiciant. Ingens uobis in
in hisce rebus deuorandus labor, sed ingens conseque-
tur fructus, summa concordia, summa tranquillitas.
Non fraudabit uos deus cuius ministri estis, cuius ne-
gotium geritis. Contra iniquitatem & impietatem
pugnantibus aderit deus, egregia ac gloriosa uicto-
ria donabit.

In summa, ex diffidentia diuinæ bonitatis, & phi-
lantia quæ charitatis & concordie hostis est, quid-
quid in hisce rebus peccatur, originem habet. Hinc e-
nim auaritia et pecuniæ studium, cui comites sunt te-
tra quædam flagitia. Dominus ergo donet nobis, ut fi-
duciam in bonitatem eius inconcussam concipiamus,
deinde ut beneficia à pientissimo patre accepta per
charitatem in proximos candide & liberaliter deri-
uemus, Amen.

SEQVITVR LIBELVS

DE DISCRIMINE

decimarum. An decimas debeamus.

De legitimo usu decimarum,

& de eiusdem abusu.

Ioanni Bullingero fratri suo charissimo, Henrichus
Bullingerus salutem exoptat per Christum.

Quod à me petijsti, charissime frater, hic tibi

LIBELLVS DE

*cape, de decimis nempe christianam ut puto doctrinam. Obtestor te in domino, ut uerbum domini synce-
 riter & pure tractare uelis, ita ut nihil temere, nihil
 ex affectibus. Negotia diuina considerationem & iu-
 dicium requirunt, fide & charitate expendi uolunt,
 non loquacitate aut curiositate. Tu ergo in omnibus
 fidem & charitatem tibi scopum præfige, & mitte
 loquaculos illos & uaniloquos, qui passim eruditio-
 nem suam ostentant, & falsæ scientiæ opinionem a-
 pud simplices uenantur. Qui sic colligunt, In nouo te-
 stamento decimæ præceptæ non sunt, ergo non sunt
 dandæ. Plus uocis quàm rei rationem expedientes,
 quæ curiositas maxima est, quum negare non possunt,
 omnibus debita esse reddenda, idq; diuino iure.
 Decimas item sub debitorum titulo esse comprehen-
 sas quis inficiabitur? Quid ergo opus argutijs? Docea-
 tur quis sit decimarum usus legitimus, rursus quis abu-
 sus, & quod quisq; quod debet, summa fide persoluat
 ac reddat. Hæc tibi scribo, non quod de fide tua dubi-
 tem, sed quod te in uia ueritatis fulciam & confir-
 mem. Vale.*

DE DISCRIMINE DE-
 cimarum.

Qui



Vi sine omni discrimine de decimis lo-
quuntur, populum suspitosum reddūt,
Qui uerò sine conditione dicunt Chri-
stianum decimas iure diuino non debe-
re, seipsos seducunt, & simul furari plebem docent.

DE DECIMIS MA-
gistratus.

Sunt quaedam decimæ quæ magistratibus aut præ-
sidiis dantur, quæ uectigalia tributa aut census di-
ci possunt. Dantur enim ad sustentationē eorū qui
magistratum gerunt & pro nobis inuigilant. Hæc ita
esse, probandum nobis uenit: Signa ergo produci-
mus ex iuribus antiquis, ex literis, priuilegijs & con-
suetudinibus. Testimonia iam sunt ex historijs, ut Cice-
ronis pro lege Manilia. Quod si cui hæc testimonia in-
firmiora uidentur, in scripturam Lectorem mittimus.
Leuitis enim ut publicis personis decimæ decretæ e-
rant. 1. Samuelis 8, adhuc clarius habetur: Hoc erit ius
regis qui imperaturus est uobis, Segetes uestras &
uinearum reditus addecimabit, &c. Deinde & hoc
obseruandum, decimas non solum uectigales esse ma-
gistratibus, sed etiam pœnas & multas, ut dum popu-
lus per inobedientiam aut tumultum deficit, qui dein-
de bello punitur, & pro expensis in expeditione ex-

positis plebs multatur, ut singulis annis decimas dando se defecisse agnoscant. *Actione in Verrem. 5. ora. 8. Non ualde dissimile Gen. 47.*

Si quis iam quærit an Christianus huiusmodi decimas debeat iure diuino, responsionem habeat Christi, *Reddite Cesari quæ sunt Cesaris, et deo quæ sunt dei:* & prophetae Samuelis uerbū, *Hoc est ius regis, &c.* Item uerbum Pauli ad Rom. 13. *Dei minister est magistratus, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, uerum etiam propter conscientiam. Propter hoc enim & uectigalia soluitis. Siquidem ministri dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Reddite ergo omnibus quod debetur, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal, cui timorem timorem, & cui honorem* (τιμή honor, precium, pœna, multa, ultio & persolutio) honorem. Ex quo colligimus Christiani hominis esse, ut & istas decimas pœnales persoluat.

ECCLESIA RVM ET PAUPERVM decimæ.

Qui uel mediocriter ueterum rerum periti sunt, non ignorant apud uetustissimas ecclesias decimas fuisse, quæ hinc nomen sortitæ ecclesiasticæ dictæ sunt. Hæ in ecclesijs in commune confectæ

conferebantur, ex quibus deinde uerbi ministri, & ecclesiarum præsides, ac pauperes aiebantur. Hic mos ex ueteri nimirum synagoga relictus in ecclesia Christi inoleuit: dabatur enim decimæ Leuitis ex præcepto et instituto dei. Harum decimarum pauca iam sunt, atque men ubi fuerint, persoluenda sunt & reddenda, non quod Moses præceperit, sed propter ecclesie consensus, & contractum qui intercessit, & quod hæc magistratus consensu decreta sunt & firmata, quorum ordinationi pijs omnibus obediendum est. Nam si quisque sic cœperit colligere, Itē so vil vnd so vil bin ich dem schuldig/ staat nit in neuwen Testament/ ergo, ich bin jm nüt schuldig/ scriptura sancta nihil aliud erit quam cautio aut rationarium. Quandoquidem uero semel hoc statuit sacra scriptura, ut omne debitum omnibus reddatur, Roma. 13. consequens nimirum est, idque omnibus debet esse cognitum, ut quæcunque debemus summa fide reddamus.

Debitum uero hoc est, quod ex promissione aut pollicitatione uenit, aut ex consensu, quum quid bona fide inter uenditorem & emptorem recipitur aut promittitur, & deinde consensu & decreto magistratus publicis tabellis roboratur. In decimis Ecclesiasticis hoc factum est, ergo in rationem debiti decimæ Ecclesiasticæ ueniunt. Si debitum sunt decimæ, ergo persolueda tibi erunt, idque iure diuino.

C

LIBELLVS DE

Sed quid ad me (inquis) quid maiores nostri in se
 susceperint aut polliciti fuerint? non potuerunt me su-
 is pollicitationibus obstringere, &c. Cede ergo bonis
 quæ ipsis hæreditate ad te transferunt. Nam si auus
 tuus aut parens non habuit ius sua uendendi, impi-
 gnorandi, aut commutandi, nec ius habuit ea tibi dan-
 di aut relinquendi. Quod si iure gentium tibi potuit
 bona relinquere, prioris etiam potestatem habuit.
 Redde igitur quæ debes. Nam si sic licet, præualuit om-
 nis uis & rapina inter homines, nihil firmum aut con-
 stans inter mortales amplius erit, nec fides nec iusiur-
 randum constabit. Sic enim quisque tumultuabitur,
 & dicet: Quid ad me fœdera, conditiones pacis, uen-
 ditiones, tabellæ, sigilla? Si parentes mei demortui tibi
 fidem dederunt, aut iureiurando præstato aliquid pol-
 liciti sunt, eos iure conuenias, eos adeas & ab eis pos-
 stules. Quid hæc tempore sint paritura, quis tam cæ-
 cus qui non uideat? tumultus, bella, seditiones, & quid
 quid est usquã malorum. Facile ergo exploratum est
 omnibus cordatis, quo spiritu ducantur, qui huiusmo-
 di sermones in uulgus spargunt, aut huiusmodi uer-
 ba iactitent.

DECIMAE EMPTAE
 & priuatae.

BONA

Bona pars decimarū hodie nec uectigales sunt, nec tributa, nec census, nec Ecclesiasticæ pauperum, sed emptæ, adeoq; debita.

Quum enim decimæ essent ecclesiarum, temporum calamitatibus, aut annonæ uitij coactæ sunt ecclesiæ, ut aut impignorarent aut uenderent suas decimas. Hinc factum est, ut quæ erant liberæ & publicæ, in ius alicuius priuati hominis transferint, qui aut mutuo pecuniam ipsis dederit aut totas emerit. Ex simili causa coacti sunt aliquando generosi & nobiles, imò principes aliqui, iuri suo, priuilegijs, & decimis suis cedere opulentis & potentibus ciuibus, qui eas emerunt, aut alio pacto per iustum contractum sibi uendicarunt. Huc pertinet quod non raro illustribus quibusdam & fortissimis uiris decimæ munere honorario & libera donatione donatæ sint. Ut reges donauerunt principibus suis, quorum fidem in ministerio essent experti. Donationes.

Quum uerò primum ius in alios iam sit translatum, tumultuantur quidam, & decimas se non debere existimant: nec interim expendunt tumultuosi homines per mutationem dominorum aut possessorum, ius possessionum nec irritum fieri nec eneruari. Ad hæc quòd possessor princeps ius habet sua largiendi & donandi, 1. Samuelis 8. Item quod decima etiam si aliquando tributum fuit istorum uel illorum, iam de

LIBELLVS DE

bitum est. Quandoquidē ergo Paulus dicit, Reddite omnibus quod debetur, & decima debitum est, consequitur decimas priuatas & emptas esse dandas.

DECIMAE MONASTERIORUM.

NEc unius sunt generis monasteriorū decimæ. Quædam enim emptæ sunt, quædam ex libera donatione, quædam nec emptæ sunt nec donatæ. Hypocrisis enim, falsæ religionis species, operumq; propriorum fiducia principum & nobilium oculos ita præstrinxit, ut quasdam decimas monasterijs donarent libere, quasdam uenderent uilissimo precio, hac tamen conditione, ut annuam memoriam eorum & maiorum haberent in Missa: tametsi questus & missarum nundinatio non ita dudum inoleuit. Ab initio longe alia fuit ratio monasteriorum, quàm nostris temporibus fuerit. Scholæ erant omnis discipline, honestatis, innocentiae, uirtutis, & ueræ eruditionis. In his alebantur ac educabantur piorum hominum liberi, in timore dei, et ad literarum studia, maxime sacrarum, ex quibus deinde ad prædicandi officium admouerentur. His alendis ac educandis dabantur decimæ, ex istis enim paræctiarum præsides & pastores sumpti sunt doctissimi quique. Hinc factum est, ut & ecclesiarum

rum

rum parrochialium in circuitu decimæ monasterijs, ut
distribuerent pauperibus, dabantur. Vnde sententia
illa in decretis canonicis orta est, Monasteria mona-
chorum sunt xenodochia pauperum. Posteris tempo-
ribus negligentia & auaritia eò uenit res, ut monachi
huius institutionis obliti, nec doctos alebant, nec parœ-
tias doctis prouidebant, nec pauperum curam gere-
bant. Ipsi decimas ab ecclesijs recipientes, ecclesias pa-
storibus grauabant. Præter decimas enim quas mona-
sterijs dabant, cogebantur ecclesie & pastorem ale-
re. In monasterijs iam alebantur fuci quidam ignaui
& inutiles, qui nihil facerent quàm in templo boare.
Pauperibus nihil dabatur quàm pulis quædam reli-
quie: pro pauperibus cœperunt alere canes, scorta,
equos, equisones, & eius generis sordes.

Vtcunque uerò sint hæ decimæ, aut emptæ sunt,
aut donatæ ab his quorum erant propriæ & ad quos
ius illarum pertinebat. Quæ si non essent monasterijs
donatæ, heredibus nobilium eas dare cogereris, idq;
iure diuino. Debiti ergo nomen cum iam habent, dan-
dæ & reddendæ sunt, ut iam satis probatum est.

DE VERO DECIMA-

rum usu & de earun-

dem abusu.

C 3

L I B E L L V S D E

Potesť autem corrigi nec sine fructu quod hactenus peccatũ est, per magistratus uidelicet, quorum interest terrenas & corporales res administrare, & in ordinem redigere. Detur opera ut in pristinum usum, & natiuam institutionem redigantur. Quibus uerò medijs uisq; hoc fieri possit ac debeat, ab alijs copiose & prudenter ostensum est, ut de his amplius tractare non sit necessarium.

Vbi decimæ magistratibus aut principibus dantur, ius ad eas habent & priuilegium. In hoc enim dantur, ut operi suo & ministerio inuigilare possint, qui publica procurant, ne uel pensiones ab alijs accipere cogantur, ne tyrannidem et uim suis inferant, ne ue tributis plebem nimium onerent. Quod superest publicis commoditatibus seruire debet, ut suppetent expensæ & sumptus ad ædificia publica, in fame, in bello, in cæteris uel temporũ uel rerum calamitatibus.

Neque enim decet, ut in hisce rebus magistratus Christiani ab ethnicis uincantur. Videantur lex Hieronica, & actiones in Verrem maxime, quinta. Abusus ergo merito dicitur, quum præter honestatem & necessitatem cætera prodiguntur immodicis sumptibus & ebrietatibus: uel dum mordicus retinentur, ut fundi & possessiones nouis uectigalibus grauentur, quum præstaret hisce pauperum necessitatibus subuenire.

Que

Quæ ab ecclesijs emptæ & abalienatæ sunt, redimantur, si sine tumultu et iniuria fieri potest, iterum ad ecclesias. Tametsi qui ius ad eas habet, nisi lubens cedat, iure suo depelli non potest. Hæc uerò peccatorum est poena, quòd decimas adeoq; publica bona uendidistis & priuata fecistis. Nam si quid hic peccatum, si quis culpandus est, magis culpandus erit qui publica uendidit, quàm is qui ære suo illa emit, uix precibus totius ecclesiæ, quæ decimas habebat, ad hoc inductus. Cur ergo non seruarunt? Quum uerò iuri suo in uniuersum cesserunt, cur ad pœnitentiam uenditoris emptor & possessor uim pateretur? Possunt tamen emptores qui iam decimas ecclesiasticas possident rogari, ut Christi pauperumq; respectu ad conseruationem reipublicæ iuri suo cedant, & decimas iusto precio ab ecclesijs redimi patiantur.

Ad hoc namq; decimæ in ecclesijs seruabantur, ut ex his pastor pauperesq; alerentur, quod supererat ad usus publicos & populi necessitatem insumebatur. Hinc caueri poterat ut nullus in ecclesia mendicus esset, quum singulæ ecclesiæ suis pauperibus opem ex decimis ferrent. Vide Galat. 6. 2. Timoth. 5. Nec metuendum hinc ali pigros & securos, nam nos de pauperibus ueris loquimur. Non enim ab ecclesijs ali debent (si modo iuxta charitatem & fidei regulam ordinatio facta est) qui sua sponte otiosi & ignaui

LIBELLVS DE

esse uolunt. Iam multo decentissimum est, ut monasteriorum decimæ, quæ non emptæ, sed per hypocrisim & falsam religionem extortæ & emendicate sunt, ad ecclesias redeant. Curetur interim ut ecclesiarum oneribus, quæ in uerbi ministros expendunt, exonerentur. Monasteria enim quæ decimas accipiunt, merito & pastorem & pauperes alere debent.

Quod si decimæ ad anniuersarios dies principibus aut alijs priuatis, ad monasteria aut collegia date essent, quod putarant deo se obsequium præstituros: attendant uerbum domini qui dicit, Misericordiam uolo & non sacrificium, curentq; ut tempore decimæ pauperibus erogentur. Quæ uerò libere à principibus sunt donatæ ut monachi ibi alantur, maneat talia monasteria aut collegia scholæ, ut ibi legantur lingue, sacræ literæ, & bonæ disciplinæ. Alantur illic uiri boni qui studijs incumbant, ut semper habeat populus qui uerbum dei prædicare, & ecclesijs præesse possint.

Ex his facile est uidere, abusum esse decimarum, si ad foenus dantur, si illis ignaui hypocritæ & inutiles fuci alantur, qui nihil quàm falsam religionem & falsam fidem in plebem serunt, qui ebrietatibus uacant, et commessationibus, qui ex his alunt scurras, scorta, equos, canes, &c.

In summa admoniti sint uniuersi, uos qui magistratum

tum

tum geritis, ut summa fide & diligentia populum uobis subditum curetis. Vos qui decimas recipitis, ut in quem usum institutæ sint memineritis. Ponite ante oculos uestros deum & illius iudicium, ut omnia iuxta æquitatem transigatis. Vos ex plebe ne lucrum uestrum, aut carnis libertatem ex Euangelio quæeratis. Ne excidat uobis quid hac ex re ministro Helisæi acciderit. Magis ordinem & tranquillitatem publicanarum rerumq; temporalium usum, quam tumultum & rerum omnium confusionem uobis proponite. Conuertite corda uestra in deum, spectate æterna, uilitatem rerum corporalium expendite, eternorum inestimabile precium. Quicquid enim in mundo est more fluentis aquæ præterit, ueritas & fides in perpetuum manent. Hec qui expendit omnibus debita reddet, nec unquam temporalium rerum gratia tumultuabitur.

FINIS.

si ut quisq[ue] promissim[us] est ad mortem pro fide sue partis
abundant[er], sic eius fidei veritas constat deum d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m
certissimam, nulla fides v[er]is certior, neq[ue] varior, quam sui sum
dupl[ic]it[er], cum null[us] sine neq[ue] firm[us] iam inde a null[is] d[omi]n[u]m
annis, ob quib[us] potius firmavit d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m, quiaq[ue] fortis
constantis, alacris ad v[er]am, tum ad mortem in ipsam quam
v[er]i horrendam, v[er]o se obtulerunt. Etiam Augustini seculo,
quod ipse narrat prodigiosa q[ui]dam fuit in illis mortis cupi-
ditas, Non quo tempore adhuc cultus idolorum durabat, ad Pa-
ganos calidissimas sollicitatis negotia Donatista agmina
sepe v[er]misce scribit, ut a cultorib[us] idolorum in miserandis, quibus
in pignis, se trucidandos armatis viatorib[us] iugiter obire,
percussos nos se, nisi ab eis perimerent, terribiliter comminari
nonnunq[ue] a iudicib[us] transuentib[us] d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m, v[er]o
carnificib[us], vel ab officio ferirent. Unde q[ui]dam illos sic illu-
sio, ut nos tanquam percussivos h[ab]ere d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m, atq[ue]
ita eorum impetum incruentis d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m. Jam vero p[er]
abrupta precipitia, p[er] aquas & flammam occidit seipos, quod dia-
bolus illis ludus fuit. Neq[ue] vero t[ame]n Augustini seculo talis fuit.
Ante quadringentos annos quib[us] Bernardus vixit, miram
Anabaptista non minus vite prodigiosa quam Donatista. Mira-
bunt, neq[ue] alii, quod non modo patitur, sed & laet, ut videtur,
ducatur ad mortem: sed q[ui] minus aduertunt, quanta sui pot[er]at
Diaboli, non modo in corpora hominum, sed in corda q[ui] sumat p[er]missu
possident. Nonne pl[ur]is est hominum sibimet magis in se, quam
id libenter ab alio sustinere? Hec aut[em] in multis pot[er]at Diaboli
frequenter d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m, q[ui] seipos aut submissum, aut susp[er]do-
runt. Quisq[ue] Judas susp[er]dit seipum Diabolo sicut dabo m[er]it-
ionis. Ego tamen magis d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m, magisq[ue] admiror, quod
pot[er]at immiseret in cor n[ost]r[u]m, ut traderet d[omi]n[u]m, quam ut seipum
susp[er]deret. Nihil ergo simile tu constantia martyris &
p[er]tinaia h[ab]ere, quae mortis contemptu in illis p[er]tat, in istis
d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m. Nec a maiorib[us] suis d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m
quoq[ue] temporis Anabaptista, neq[ue] minus fortis futurum &
alacris in omni mortis d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m pro fide sua subando,
quod inter alios oculat[er] et nig[er]is t[er]ris suis p[er]tinias in
no[]stro, quo erroris v[er]o confutae, scripto p[ro]d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m d[omi]n[u]m.